

Capitulum ut legitime convocetur, haberi debet ratio *personarum*, id est convocantium, *modi, loci, et temporis*. (38. Convocat Capitulum Episcopus, vel decanus. (39. Episcopus convocat in negotiis quæ peragi debent cum consensu vel consilio Capituli, vel alias conjunctim ad Episcopum et Capitulum pertinent. (40. In cæteris negotiis decanus convocat Capitulum vel tempore statuto, vel extraordinario pro re nata, eoque deficiente senior ut plurimum, (41. nisi aliter ea in Ecclesia obtinuerit. Bohemer in decretal., lib. iv, tit. 11, § 3, (42. ubi quod, convocante decano Capitulum, haud opus est licentia Episcopi. Louvrex dissert. canon. 17, n. 1 et plur. sequent.

(43. De modo convocandi Capitulum nihil in jure statutum est. (44. Quocirca retineri debet modus ille, qui in Ecclesia, de qua agitur, invaluit. (45. Alibi enim fit convocatio per sonum campanæ, alibi per litteras, alibi viva voce. (46. Quod vero attinet ad absentes, ii necessario convocandi sunt per litteras vel per nuntium. Passerin. de Election. Canon., cap. 11 fere per tot.

(47. Locus Capituli solet esse certus ac determinatus. (48. Episcopus tamen potest Capitulum in aula sua convocare, nisi controversiam cum ipso Capitulo habeat. Fermosin. de Potest. Capituli sede vacante, tract. 3, quæst. 6, num. 12. (49. Verum si alibi, modo in loco honesto, convocatum sit Capitulum, nequit actus hoc nomine impugnari, quod Capitulum non sit convocatum in loco consueto. Card. de Luca de Regular., discurs. 15, n. 2; Passer. de Elect. Canon., c. 12, n. 2 et seqq.

(50. Demum tempore consueto convocari debet Capitulum, non eo tamen quo divina celebrantur, alias capitulares impune non comparerent. Leuren. For. Beneficial., t. I, q. 420, n. 5.

(51. Quod concernit secundum requisitum: vocem in Capitulo habent, adeoque sunt convocandi, qui nomine Capituli veniunt, (52. et sic regulariter soli Canonici, nam non nisi Canonici veniunt nomine Capituli, ipsumque constituunt. Bohemer. in decretal. lib. iii, tit. 11, § 6. (53. Hinc sequitur, dignitates convocari non debere, nam eæ non dicuntur de Capitulo, nisi velfundatione, vel consuetudine aliud obtineant. Cardinal. de Luca de Beneficiis, discurs. 46, num. 1; Barbosa de Canon., cap. 35, num. 14. (54. Idem dicendum est de mansionariis, quippe qui nec de Capitulo dicuntur. Ayres. in dissert. de beneficiar. assis. Confer etiam Rotam coram Crispo dec. 50, n. 20, in Gerunden. Servitutum 23 Febr. 1731, § *Siquidem*, coram clar. mem. Cincio.

(55. Quinimo nec omnes Canonici convocandi sunt, sed tantum præbendati, intra numerum, et in ordine saltem diaconatus constituti. Bohemer. in decretalib. lib. iii, tit. 11, § 7 et 8. (56. Num autem Canonici absentes vocandi sint? Negatur, exceptis tamen in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio prælati, receptio Canoniorum, aut præbendarum collatio, et cessatio a divinis

a Capitulo indicenda. Idem auctor loc. cit. § 9.

(57. Tertium requisitum est, ut negotia capitulariter expediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si congregatum sit Capitulum, audita sint vota singulorum, et deliberatio a congregatis facta sit. (58. Neque enim singuli extra congregationem Capitulum constituunt, et ita nec singulorum consensus extra Capitulum interpositus sufficit in negotiis a Capitulo expediendis; id quod ex natura collegiorum fluit. Card. de Luca de Benefic., discurs. 30, n. 3 et 5, optime Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 24.

(59. Restat ut disseramus de ultimo requisito, ut major pars Capituli consensum suum interponat. Id quoque ex natura omnium collegiorum et universitatum fluit, cum non esset ratio expediendorum negotiorum, nisi majora concluderent. (60. Major tamen pars æstimari debet non respectu partium minorum, sed totius Capituli, id est omnium Canoniorum intervenientium, et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 9 et seq. (61. Idemque obtinere debere tenet dictus auctor, si Capitulum consenserit, ut major pars respectu partium minorum concludat.

(62. Cæterum si agatur de negotio Canonicos uti singulos concernente, non sufficit consensus majoris partis, sed singulorum Canoniorum consensus exigitur. Fagnan. in cap. *Cum in cunctis* fere per tot. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli. Fermosin. de Potestat. Capituli sede vacante, tract. 3, q. 1, n. 5, 15 et sequent.

(63. At quando negotium dici debeat hujus generis, ut concernat Canonicos uti singulos, omnium optime explicat Louvrex sæpe dicta dissert. Canon. 17, a num. 16 ad plur. seq. omnino consulendus ubi res postulat.

(64. Num ad convocationem Capituli extraordinarii debeant Canonici ei qui jus habet convocandi ipsum Capitulum, eique præsidendi, negotia pandere, propter quæ convocatio illa desideratur? (65. De quæstione hac magna utrinque animorum contentione disputatum novissime est in Rota. At tribunal hoc definivit necesse haud habere Canonicos negotia proponenda in Capitulo extraordinario nota facere habenti jus convocandi Capitulum, ipsique præsidendi. Vide decisionem in Avenionen. Convocationis Capituli 17 Martii 1752, coram Emin. Bussio.

ARTICULUS II.

Quoad ea in quibus requiritur consilium vel consensus Capituli.

(1. Capituli consensus requiritur: Primo in alienatione rerum ecclesiasticarum quæ ad Cathedralium Ecclesiam pertinent; cap. *Sine exceptione* 53, caus. 12, quæst. 2; cap. *Ut super*, § fin. de Rebus. Eccles. non alien., cap. 1 de His quæ fiunt a Prælat. Rota in Triventina Beneficii 12 Novembr. 1649, cor-

Queipo. (2. Secundo, requiritur Capituli consensus in administratione bonorum et reddituum Ecclesiæ. Si enim hæc omnia sunt communia inter prælatum et Capitulum, ad eos simul spectare debet administratio; cap. *Novit* 4, cap. *Quanto* 5, cap. *Ea noscitur* 5, de His quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli; Rota par. i, recent. dec. 183, num. 1, et in Gerunden. Administrationis, 16 Febr. 1629, coram Verospio, et in eadem 11 Decembr. 1630, coram Cocino decano. (3. Tertio, requiritur Capituli consensus in suppressione canonicatum et beneficiorum, quæ non permittitur Episcopo absque tali consensu, et sine legitima causa; c. *Cum accessissent*, de constitut., ubi Abb., num. 4 et 9; Felin., num. 17, dec. num. 45 et alii passim. (4. Quarto, requiritur Capituli consensus in unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum faciendæ; cap. *Si Episcopus* 72, caus. 12, qu. 2, ubi gloss. in fin. cap. *Tua nuper*, de His quæ fiunt a Prælati; Clement. *Si una*, de Rebus Eccles. non alien. Rota dec. 133, n. 2, part. ii, divers. et dec. 294, num. 17, part. v divers. (5. Quinto, requiritur Capituli consensus in casu quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas; cap. *Dilecti* 13 de Majorit. et Obedient. Piasec. in praxi Episcop., part. ii, quæst. 2, cap. 2, n. 9, vers. *Item in casu*. (6. Sexto, requiritur Capituli consensus in omni negotio quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis; cap. *Humilis doctrina*, 17, de Major. et Obedient. (7. Septimo, requiritur Capituli consensus, ut erigatur seminarium in ædibus canonicalibus; seminarium enim ibi erigi non potest, nisi de consensu Canoniorum, et ita separatim, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. Sac. Congregat. Concil. in Mutinensi, 3 Febr. 1604. (8. Octavo, requiritur Capituli consensus in creatione Canoniorum supranumerariorum; nec enim potest Episcopus auctoritate ordinaria in sua Ecclesia creare Canonicos supranumerarios absque consensu Capituli et Canoniorum. Sac. Congreg. Concil. 26 Febr. 1639, in una Fulginat. (9. Nono, requiritur Capituli consensus, ut vigore Concil. cap. 7, sess. 7, de Reform., curam animarum toti Capitulo cathedralis incumbentem, per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ adnectere possit Episcopus. Sac. Congreg. Conc. in Compsana, 1 Julii 1647. (10. Decimo, consensus omnium Canoniorum requiritur in actibus Capituli voluntariis, et ubi agitur de Ecclesiæ præjudicio, nec sufficit consensus majoris partis. Rota part. vi, recent. dec. 20, num. 5, part. xvi, dec. 244, num. 25. Secus vero in actibus necessariis, et ubi agitur de ejusdem Ecclesiæ utilitate. Rota part. vi, dec. 20, num. 7 et sequent.; p. xvi, dec. 244, num. 25; part. xix, t. I, dec. 171, num. 7. (11. Undecimo, consensus majoris partis Capituli requiritur in quolibet actu Capitulari; l. 3 et l. 4 ff. quod cujusque univers. nom. l. nominationum 46, Cod. de Decurion.,

lib. x. Rota part. xvii, dec. 79, n. 10. (12. Unde advertendum est quod consensus majoris partis sufficit in iis quæ sunt communia pluribus, uti universis, non autem uti singulis; cap. 1 De iis quæ fiunt a majori parte Cap.; Rot. part. xvii, dec. 263, num. 5. (13. Et pariter advertendum est quod ubicunque requiritur consensus Capituli, debet præstari collegialiter, et Capitulo ad id legitime congregato. Rota part. ii, dec. 382, num. 3. (14. Et circa hoc est ultimo advertendum quod, in omnibus casibus ubi requiritur consensus Capituli, id quod ab Episcopo sine tali consensu Capituli factum fuerit, nullius erit roboris et momenti. Barb. de Canonicis, cap. 42, num. 15 et alii passim.

(15. Capituli consilium requiritur: Primo in institutionibus et destitutionibus beneficiorum; cap. *Novit* 4 De his quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (16. Secundo, requiritur Capituli consilium in clericorum ordinationibus; cap. *Episcopus sine consil.* 6, dist. 24, ibi: « Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet. » (17. Tertio, requiritur Capituli consilium in dispensationibus et confirmationibus; cap. *Præsentium* 3, caus. 1, qu. 5, et ibi Glossa cap. *Quanto*, 5 de iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (18. Quarto, requiritur Capituli consilium in inquisitionibus et condemnationibus clericorum et sacerdotum; cap. *Si quid vero* 23, dist. 86, et ibi plene Glossa in verb. *Ecclesia*, cap. *Licet Heli* 31, vers. *nam juxta Canonicas sanctiones*, de Simonia. (19. Quinto, in processionibus edicendis, decernendis, dirigendis, atque deducendis consilium Capituli est requirendum, non autem consensus exigendus. Sac. Congregatio Rituum in Elboren., 28 Mart. 1628, et in Comen., 7 Febr. 1632, ubi declaravit ad Episcopum pertinere cum Capitulo tamen consilio indicare publicas processiones, et præscribere quomodo et quo sint dirigendæ; quod per Vicarium Generalem absente Episcopo requirendum quoque esse ab eodem Capitulo censuit eadem Sac. Congregatio in Vigilien., 28 Sept. 1630. (20. Sexto, consilium Capituli requirere tenetur Episcopus casu quo canonicatus et portiones omnes suæ Ecclesiæ cathedralis ex fundatione, aut antiqua consuetudine aut statuto aliquem ordinem presbyteratus vel diaconatus annexum non habent, ut scilicet cum prædicti sui Capituli consilio designare et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum debeat esse annexus, ita ut saltem pro dimidia parte sint presbyteri, cæteri vero Diaconi vel Subdiaconi. Conc. Trident. sess. 24 de Reformat., c. 12, vers. *Episcopus autem*, ubi jussit observari consuetudinem illam, quæ hæuerit, ut plures, vel omnes sint presbyteri, circa quam conciliarem dispositionem emanarunt exinde a Sac. Congreg. Concil. tres sequentes decisiones: *Prima est*: « Episcopus cum consilio Capituli designare debet, quibus beneficiis vel canonicatibus quisque ordo debeat esse annexus, non quibus personis vel

canonicis, quia mandavit Synodus sacros ordines annecti canonicatibus ipsis, ut in posterum perpetua, et continua foret sacrorum ordinum assignatio, non ipsis personis possidentibus canonicatus, ne opus foret singulis vicibus nova assignatione accedentibus novis canonicis. » *Secunda* : « Episcopus auctoritate dicti decreti non potest imponere omnibus canonicatibus ordinem presbyterii, sed duntaxat sub hoc numero dimidiæ partis comprehensis dignitatibus, vel iis qui dignitatem obtinent, nam reliqua pars manere potest solis ordinibus diaconatus, vel subdiaconatus obnoxia. » *Tertia* : « In facienda distributione seu designatione sacrorum ordinum, Episcopus tenetur duntaxat adhibere consilium sui Capituli, non etiam assensum ejusdem expectare, quia potest etiam invito Capitulo efficere id quod judicaverit magis expedire. » Sic ex Stephan. Vueyms. Barbosa de Canon., cap. 42, num. 20.

(21. Episcopus antequam indicet, et publicet Synodum diœcesanam, requirere debet saltem consilium Capituli juxta regulam; cap. *Quanto 5* De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli; Rota in Barbastren. Jurisdictionis coram Pamphilio 7 Julii 1585. (22. Episcopus enim prudens, antequam decreta Synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere, licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. Sac. Congreg. Conc. in Hispalen. Synodi, 26 Novembris 1689. (23. Et sic quod Episcopus in decernendo et statuendo ea quæ sibi benevisa fuerint in Synodo diœcesana, teneatur requirere consilium Capituli, non autem illud sequi in casibus in jure expressis, decrevit eadem Sacra Congreg. in dicta Hispalen., 15 Januarii 1695. (24. Requisitio tamen consilii Capituli facta per edictum sufficit ad sustinendam validitatem Synodi, prout censuit Sacra Congreg. Concil. in Ostunen. Synodi 15 Decembr. 1696. Concordant omnino quæ habet Benedict. XIV de Synodo Diœces., lib. VIII, cap. 1, per totum; ibique subdit, quod si Episcopus constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. (25. De primo ad ultimum Capituli consilium requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis; cap. *Novit 4*, c. *Quanto 5*, c. *Pastoralis 9*, De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (26. Ecclesia enim habet Senatum seu cœtum presbyterorum (id est Capitulum), sine quorum consilio prælato nihil agere licet, ut legitur in cap. *Ecclesia habet Senatum 7*, caus. 16, q. 1, et facit ad hoc Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12 de Reformat., circa finem, ibi : « Ut merito Ecclesiæ Senatus dicti possit. » Adeoque pro arduis Ecclesiæ negotiis expediendis esset semper requirendum hujus ecclesiastici Senatus consilium. (27. At vero fere ubique habetur in

pluribus consuetudo contraria, qua legitime exstante, non amplius requiritur ipsius Capituli consilium; textu expresso in cap. *Non est 3*, de Consuetudine in 6, sicuti in aliis quoque quæ supra diximus, contraria prævalet consuetudo; cap. *Ea noscitur 6*, De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (28. Et de facto, quod Capitulum cathedralis subjiatur constitutionibus synodalibus, aliisque legibus, etiam per edicta panditis sine consilio Capituli, respondit novissime Sac. Congr. Conc. in Gerunden., 19 Decembr. 1739 ad 3.

(29. Idque procedit, etiamsi Capitulum cathedralis exemptionem obtineat; subditur enim legibus synodalibus in iis, quæ versantur circa morum et disciplinæ reformationem, ita declarante Sac. Congreg. de Synodo Diœces., lib. IV, c. 8, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Antiquitus presbyterium Senatus erat ecclesiasticus, quocum Episcopus peragebat potiora suæ Ecclesiæ negotia. (31. In locum presbyterii successit Capitulum, et Episcopo loco Senatus intimi per plura sæcula fuit in casibus gravioribus et statum Ecclesiæ concernentibus. (32. Sed a sæculo duodecimo, quo Episcopi tot sibi officiales assumere cœperunt, decrescere cœpit auctoritas Capitulorum. (33. Adhuc tamen pro varietate negotiorum debent Episcopi aliquando consilium, aliquando consensum Capitulorum exquirere. (34. Illud sat est, quod Episcopi exquirant, cum non obliget : (35. hunc autem Episcopi et exquirere et sequi regulariter debent. Bohemer. in decretal., lib. III, tit. 10, § 1 et duob. seq.

(36. Consensus vero locum sibi vindicat, si vel in jure canonico, vel in capitulationibus expresse exigatur. (37. In aliis negotiis gravioribus sufficit consilium, nisi consuetudo ab hac etiam necessitate Episcopum absolverit; (38. nam non esse improbandam hanc consuetudinem dicitur in c. *de Consuetud.* in 6. Consule Barbosam de Canon. cap. 42, num. 29 et sequent.; Ferosin. de Potestat. Capit. sede vacante, tract. 2, quæst. 1, num. 4.

(39. Casus, in quibus Episcopus adhibere debet consensum Capituli, recenset auctor, at non omnes extra controversiam sunt. Confer Bohemer. in decret. lib. III, tit. 10, a § 4 ad fin.

ARTICULUS III.

Capitulum quoad ea quæ ipsum concernunt et Sede plena et Sede vacante.

(1. Capitulum, Sede plena, seu vivente Episcopo, potest etiam sine consensu Episcopi condere statuta de his quæ respiciunt particularia ipsius Capituli negotia, aut proprios capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ, puta ut certis modis dividantur quotidianæ distributiones, vel ut certis temporibus ad Capitulum non vocati conveniant, seu ut tali ordine, aut ad pulsus hujus, vel illius campanæ Canonici ad cho-

rum, vel Capitulum vocentur, vel super administratione bonorum communium Capituli, in quibus Capitulum habet administrationem seorsim ab Episcopo, vel super aliis hujusmodi. Sic Glossa receptissima in c. *Constitut.*, vers. *Statutum 2*, De verb. significat. in 6, et doctores communiter cum Rota in Illerden. Statuti 19, Mart. 1597, coram Corduba et in Paduana Sedilium, 26 Januarii 1618, coram Card. Sacrato, et desumitur ex c. *Cum accessissent 9*, de Constitutionibus et cap. *Significatum 12*, de Præbend., ubi reperitur Capitulum quædam talia statuta fecisse, quæ non solum rejecta non fuerunt ex defectu potestatis ea ferendi, sed etiam fuerunt per Papam approbata. Accedit textus in cap. *Ex litteris 11* de Constitutionibus, ubi istud ipsum admittitur in inferioribus universitatibus, juncta l. 1, § 2, ff. *Quod cujusque Universit. nomin.* et leg. ultima Cod. de Jurisd. omn. Jud. (2. Imo Capitulum potest adicere pœnas hujusmodi statutis, ad hoc ut firmius observentur; et sufficit consensus majoris partis Capituli. Talia tamen statuta non obligant Canonicos successores, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. Sic Sacra Congreg. Conc., 31 Martii 1607, in qua proposito dubio : « Patres unanimiter censuerunt, Capitulum posse pœnas adicere quasi conventionaliter ex his videlicet, quæ pacto privatorum promitti, ac in conventionem deduci possunt, et sufficere consensum majoris partis Capituli, sed Canonicos successores non affici hujusmodi statutis, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. » Sic refert et tenet Fagnan. in cap. *Cum omnes 6*, de Constitut., num. 37, usque ad num. 43. (3. Capitulum ex causa publicæ utilitatis potest statuta facere contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, etiam de ea non facta mentione. Glossa in cap. *Cum M. Ferrariensis 9* de Constitutionibus, verb. *Consuetudinem*; Hostiens. in eodem verb. n. 2; Butr. num. 10 et 12; Imol. n. 8, vers. *Et nota etiam*; Fagnan. ibid. n. 13, per ration. cap. 1 de Consuetud. in 6. (4. Etiamsi consuetudo foveat utilitatem publicam, et statutum sit nutritivum utilitatis privatæ ipsorum statuentium, dummodo tamen hoc faciant ex rationabili causa, secundum Abbat. in cit. cap. *M. Ferrariensis*, n. 2; Aretin. n. 4, et Fagnan. n. 14. (5. Et dummodo principaliter et directe concernat utilitatem Ecclesiæ, et solum secundario et indirecte privatum commodum singulorum Canonicorum, et fiat de Episcopi consensu. Ripa in cit. cap. *Cum M. Ferrariensis*, n. 22; Joan. Andreas, n. 2, in verb. *Statuerunt*, et Fagnan. ibid. n. 15. (6. Ut autem valeant statuta a Capitulo condita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima ut capitulares condant tale statutum non in quovis loco, sed in loco ad Capitula celebranda deputato. Canonicis non quomodocunque, vel singulariter, sed collegialiter, et *Capitulo ad id legitime congregato*. Rota p. 1, dec. 382, n. 3. Secunda, quod duo saltem partes capitularium adsint; leg. 3 et 4, ff. *Quod cujuscunque Univers. nomine*. Tertia ut omnes fuerint vocati, alioquin unus contemptus, seu non

vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit; arg. cap. *Bonæ memoriæ 36* de Election. cum similibus, ac notat Abbas in cap. 1, num. ult. De his quæ fiunt a majori parte Capituli. Quarta ut sanior et major pars eorum, qui adsunt, statuto consentiat. Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 18 et alii passim.

(7. Capitulum, vivente Episcopo, non potest facere statuta, quæ obligent extraneos, sive totam diœcesim, quia non habet jurisdictionem in diœcesanos, vivente Episcopo. *Est communis*. (8. Nec etiam condere potest statuta circa ea, quæ tangunt communem statum Ecclesiæ sive Episcopatus, ejusque jura vel alia negotia ardua sine consensu Episcopi. Idque patet ex cap. *Cum consuetudinis 9* de Consuetud. ubi sub nullitate actus prohibetur, ne absque consensu Episcopi Capitulum immutet Ecclesiæ suæ constitutiones, vel consuetudines approbatas, atque novas inducat, et ita tenet Glossa in cap. *Constitutionem 2* de verb. significat. in 6, verb. *Statutum*; Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 16; Ferosinus de Potest. Capituli, tract. 3, quæst. 4, n. 1; Rota dec. 11, apud Farinacium part. II recent. (9. Nec etiam potest Capitulum condere statuta juri communi contraria, etiam interveniente consensu Episcopi. Et ratio est quia inferior non potest tollere legem superioris; cap. *Inferior 5*, dist. 21, et Clement. *Ne Romani*, § 1, de Elect.; Barbosa cap. 42 de Canon. n. 17; Oltradus consil. 259, num. 6; Federicus de Senis consil. 17; Ferosin. loc. cit. qu. 4, n. 5 et 6, et Rota in Hispalen. Portionis de Ossuna, 10 Febr. 1623, coram Manzanedo. (10. Nec etiam potest Capitulum cum consensu Episcopi statuere, quod descendentes ex genere infecto, puta Judæorum, Maurorum et hæreticorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad beneficia ecclesiastica. Nam hujusmodi statutum est contra jus commune; cap. *Eam te 7* de Rescript. ubi Pontifex cuidam scribit his verbis : « Pro eo vero, quod Judæus exstiterit, ipsum dedignari non debes recipere in Canonicum; » Barbosa loco cit. num. 18, et lib. I Juris Ecclesiast., cap. 32, num. 18; Ferosin. loco cit. quæst. 4, num. 6, et Rota in Cordubens. dimidiæ portionis, 28 Junii 1628, cor. Molino. (11. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut non admittantur Canonici, nisi probata nobilitate, quia est contra cap. *Venerabilis 37* de Præbend. allegata illa ratione : « Non generis, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, dignumque servitorem... Nec est acceptatio personarum apud Deum; et vix ad culmina dignitatum (nedum præbendas) viri eminentis scientiæ valent reperiri; » Abbas in cit. cap. *Venerabilis*, num. 4; Barbosa ibidem num. 5 de Præbend.; Pirhing. de Præbend. num. 111, ubi num. 113 excipit illas Ecclesias, in quibus ex primæva fundatione conditio nobilitatis exigitur. (12. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut capiens possessionem canonicatus, aut be-